

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0391

0389

0395

0385

0400

0380


0440

0340

0490

0290

0890



378

Philistaea, a civitate Ascalon, quae dicebatur Philistim, a qua et populi illius regionis Philistini dicti sunt.

Olim totius Palaestinae metropolis erat Ascalona; postea fuit metropolis Caesarea maritima; sed nunc est Gaza metropolis.

Tota regio olim erat plena gigantibus et erant potentes terra marique, quia portus maris possidebant. Quandoque praecipuas et capitales civitates habebat illa regio, de quibus dictum est Fol. II. Propter crudelitatem gigantum non potuerunt filii Israel delere Philistaeos nec civitates illas quinque possidere. Multa monasteria monachorum habuit aliquando Palaestina et magnalia leguntur de monachis in Palaestina degentibus.

De Gaza sive Gazara, civitate Palaestinarum sive Philistinorum.

Gaza civitas est binomia, quia et Gaza dicitur, ut communiter in Scriptura, et Gazara, 1. Maccab. 7. et postea saepe. Et ita hodie ab omnibus nominatur. Gazara, praesidium, monumentum, vide 2. Maccab. X., quod expugnavit Judas. Gaza enim idem sonat, quod thesaurus. Nam Cambyses rex, volens debellare Aegyptum, omnem suum thesaurum in Gazam posuit, et inde nomen Gaza aut Gazara retinuit. Quo autem nomine ante Cambysem fuerit vocata, non inveni, et forte ante Cambysem etiam sic dicebatur, quia antiquissimae scripturae eam Gazam nominant, ut Josuae 1. et Judic. 1.

Haec civitas olim erat Enaorum, secundum Jeronymum de distantibus locorum, in qua habitavere Capadoces pristinis cultoribus interfectis, et est in sorte tribus Judae, sed eam tenere non potuit, quia gigantes fortissime restiterunt. De hac civitate prophetae multa praedixerunt, ut habetur Jeremiae. (19 a) 47., Zachariae IX. et Sophan. 2., ubi multa dicuntur de ejus destructione et aliarum Philistinorum civitatum. Unde Jeronymus, ubi supra, dicit: quaeritur, quomodo Gaza in quadam prophetia dicitur futura in cumulum sempiternum, quod loquitur contra Gazam antiquam, quae dudum in nihilum

Ende

Anfang